



## LECTORI BENEVOLO *Salutem!*



I librum præsen-  
sentem omnium  
eruditorum se-  
vera benignaque  
judicia subitu-  
rum dicerem,  
vanus & arrogans jure meritoque re-  
rum intelligentibus haberer. Sicuti  
enim a multis laudari, culpari a mul-  
tis, non cuivis contingit, sed viro-  
rum notabilem famam adeptorum  
peculiare fatum est. Ita omnium  
censuram experiri, & non tantum  
volitare per ora virūm, qui vivunt,  
sed futuris plane seculis perpetuæ  
): ( 2 disce-

discepcionis argumentum præbere  
sortem humanam tam evidenter ex-  
cedit, quam inficete quorundam fa-  
stus id sperat. Quicquid est scitu &  
notatu dignum jam diu dictum, mu-  
tata tantum persona, habituve ad  
seculum accommodato denuo in sce-  
nam a prudentibus producitur veri-  
tas. Inde frustra sunt omnes, qui in re-  
bus, sæpe titivilitii, nescio, quæ inaudi-  
ta & nondum detecta, sibi videntur  
observasse, præstructo in hunc finem  
magnifico scriptis suis prætorio.  
Neque vero inani huic præsumptioni  
ullum robur accedit ex acerbe di-  
ctis & inspersis in aliorum famam  
injuriis. Quisque suos patimur manes  
nec quisquam adeo omni vitio caret,  
ut in alterum jure paratus sit dicere.  
Quid interest quoque eruditii orbis  
vel minutissimos nævos hujus aut il-  
lius scire? An non longe suavius acci-  
dit viatori inexperto, si per recte in-  
stitu-

stitutum iter ducatur , quam si per  
damna, per Syrtes, per omnia præcipi-  
tia ac devia , in quæ alii incuria delapsi  
sunt, additis de singulis tædiosis mo-  
nitis , cum fastidio trahatur. Imo  
nequidem novitas frequenti & acer-  
bæ censuræ inest , ita enim VVarlef.  
*de abbrev. lit. part. II. c. I. p. 131.* Neque  
ii veri Icti , quorum in scriptis passim  
legitur: ridiculus est Gaius, falsus est  
Mynsinger, errat Menochius, sibi non  
constat Cujacius , delirat Zasius &c.  
Præcipue facies Jurisprudentiæ no-  
stræ alia omnia suadet. Siquidem tan-  
ta & tam obscura Legum multitudi-  
ne obruti sumus , vt vel sagacissimis  
sæpiissime aqua hæreat. Nam uti in  
cæteris disciplinis, quæ interpretandi  
conjecturis nituntur, simplici ac uno  
labore defungi licet , ita hic vix ite-  
ratis curis & geminato studio pro-  
gredi datum est. Neque rationes dif-  
ficultatis eminus quærendæ. In hac

disciplina indagandus est sensus. Ast  
cujus? juris, vel plane peregrini & con-  
cisi ut : Civilis, vel a memoria nostra  
satis remoti, multisque technis & a-  
stutia incrustati , ut : Canonici, vel  
culpabili negligentia sepulti, ut : Sa-  
xonici & Suevici , vel in hunc usque  
diem non satis emendate editi, ut :  
Recessuum imperii. Quanta hic non  
opus veteris ævi notitia & status, sed  
quantæ non ubique lacunæ. Qui an-  
tiquitus gesta annotarunt, Legumla-  
tiones , tanquam rem quotidianam,  
memoratu indignas crediderunt, qui  
vero jura compilarunt nimis mole-  
stam metabasin in aliud disciplinæ  
genus putarunt , historicas illorum o-  
rigines sat idonee indagasse. Sed quid  
proficitur ad unguem nosse mentem  
legum, si, quæ fata passæ sunt , quo-  
modo olim mutatæ , vel iis deroga-  
tum, an & quomodo hodie receptæ,  
quid in collisione dicendum , ignore-  
tur.

tur. Quam s<sup>e</sup>pe hic quæsto nodus  
 gordius non solvendus est, sed gladio  
 secandus. Quot non opus conjectu-  
 ris, imo divinationibus, opinionibus  
 & commentis in hoc unum, si felicis-  
 sime conatus succedunt desinentibus,  
 quod res ita se habere vero similiter  
 possit, neutquam, quod indubitato  
 ita se habeat. Et quamvis nobis non  
 desint viri cordati qui suas animi ac  
 corporis dotes minime celarunt, sed  
 prudentis mercatoris in modum, has  
 suas merces venales satis comtas &  
 pexas protruserunt, non tamen ex-  
 inde satis tuto constat, an præsens re-  
 medium ab illorum ingenii bonitate  
 sperandum sit? Est insuper & aliud  
 impedimentum, nempe quod me-  
 thodus desit in communi tradenda  
 juris ratione idque eo, quod plerum-  
 que ordo juris civilis pro Cynosura  
 habeatur. Sunt autem hujus libri  
 quatuor, Codex, Digesta, Novellæ,

Institutiones. Continent singuli Leges salubres, sapientes & non unius tantum Imperatoris authoritate munitas. Sed quæstio non est de Legibus, quamuis & de his judicare non semper piaculum quibusdam sit, præcipue cum extrinsecus advenerint, ut in præsentem supremum magistratum censura non redundet, hoc enim demum cum officio subditi pugnat. Unde non tantum audiri vult MESTERTIVS aliquis, qui justitiam legum Romanarum ad coelum extollit, sed nec repulsum expectat PAGENSTECHERVUS, qui de nævis perorat. Accedit, quod jurisprudentia contineat etiam partem nomotheticam, quæ nimis jejuna foret si regulæ illius non ad notissima exempla, quæ inter Romanorum leges sunt, applicentur. Solæ leges Mosaicæ, utpote divinæ, sine mendis sunt. Humanæ autem, quia homines vitiis non carent, sine aperta le-

gum

gum divinarum injuria , pro omni ex  
 parte beatis celebrari nequeunt. Ast  
 hæc ῥετιπαցօթա. Methodus codi-  
 cis longe abit a digestis , cum Codex  
 XII. Digesta 50. libris absolvantur.  
 Vicissim autem titulorum multo in  
 Codice largior , quam in digestis se-  
 ges est. Non potest solida satis ratio  
 reddi , neque de librorum , neque de  
 titulorum numero. Licet decies e-  
 volveris titulum , non tamen recor-  
 daberis , ubi extet , si undecima vice  
 inspiciendus sit. Argumenta diversa  
 invenis hic juncta , jungenda transpo-  
 sita & in minutas particulas scissa ,  
 quæ sub uno rubro comparere debe-  
 bant. Si dubites , adde quæso viri in-  
 ter mortales juris scientissimi IACOBI  
 GOTHOFREDI *prefat. ad Cod. Theod.* qui  
 de his positis & vagantibus legibus  
 plura suppeditabit. Methodus digesto-  
 rum , nec ipsi Imperatori ita placuit , ut  
 in docendo sequenda sit *v. pag. 57. §. 4.*

36(0)56

ibique not. in proleg. nostr. Nec obsta-  
bit CVIACII effatum: in pandectis cohæ-  
rere omnia & arte mirabili digesta es-  
se, ut ineptissimi sint, qui alia deside-  
rant, vel comminiscuntur. Nam cui  
experientia propria non plus valet,  
quam aliorum testimonia, is potest  
haud gravatim legere, quæ habet  
CONRINGIVS de vera & varia iurispr.  
p. 131. & AVCTOR reconcin. corp. iur.  
*Ars iuris* inquit VULTEIVS in idea iur.  
log. p. 2. libris Iustinianeis comprehen-  
sa, non tam artis nomen meretur,  
quam vagæ alicujus & non admodum  
sibi constantis, farraginis &c. Et  
quamvis sint ( sunt verba SCHVTZII in  
programm. Rennem. premiss.) qui me-  
thodum in libris pandectarum & Co-  
dicis suaviter exosculantur, frustra  
tamen hactenus sudatum est in osten-  
denda connexione, quod HVGO DONEL-  
LVS L. 1. Comm. de iur. civ. c. 1. ad ocu-  
lum demonstravit. In digestis & codice  
per-

perpetua ordinis causa ( ita Illustriss.  
 LEIBENVTZ de meth. iur. p. 46.) est vete-  
 ris iurisratio , quæ tantum ad hodiernam,  
 quantum sus ad Minervam. Ut  
 taceam suffragia ALTHVSII, VIGELII, LA-  
 GI, RENNEMANNI, FELDENI &c. Novel-  
 lœ sunt congestæ secundum annos  
 promulgationis. Qualis sit metho-  
 dus efferre placet verbis iurisconsul-  
 tissimi BALDVINI, in Iustin. p. 573. si quis  
 roget, ecquis tandem , aut collegerit,  
 vedeçes, quas annis XII. Iustinianus  
 sparsit, aut in unum jus volumen con-  
 gesserit: fatebor, mihi notum non esse  
 bunc Rhapsodum, sed simul dicam, far-  
 raginem esse sine ulla arte congestatam.  
 Semper putavi quod institutis suis  
 constet ordo , sua connexio. Verum  
 aurem vellicat celeberrimus in hac  
 Salana quondam Antecessor VVESEN-  
 BECIVS ad §. sed ut nihil f. de testam.  
 Laudent, qui volent & quantum vo-  
 lent , hos elementarios libellos , mihi  
 per

(ut)

36( o ) 36

(ut quod sentio dicam), nec materies, nec methodus, si qua ratiō adhibita est, neque hic, neque in aliis collectorum operibus placet. Nec puto difficile fore aliquid melius ex his quae supersunt reliquis, adornare &c. Gravius VULTEIVS d.l p.3. quam auctoritate sit liber, quam imperfectus, quam inartificiosus, jamprimum a magni nominis Jurisconsultis animadversum & annotatum est. Paulo aliter cit. DN. LEIBNVZ. p. 44. d.l. Institutionum methodus per personas actiones & res superflua est, actiones enim tam ex jure personarum, quam rerum fluunt & personæ v. c. servus habentur pro rebus, datur servi & equi vindicatio &c. Hæc tamen non eo adducta volo, quasi nescio, quas delicias e iuris civilis censuris caperem, sed tantum, ut aliquatenus mihi viam muniam ad dicendas rationes. cur abiverim a trito ha-  
etenus itinere. Neque enim sola auctoritas virorum clarorum me movit ad divulgandum aliquale hoc specimen. Potissimum argumentum mihi fuit, quod sacratissimum Imperatorem, si non in omnibus, certe in plerisque libris non tam sistema artis conscribere, quam auctoritate legislatoria leges tantum colligere ac promulgare voluisse deprehenderim. Unde factum est, quod divisiones, regulæ universales, definitiones, harum limitationes non vna serie in corpore juris extant, sed per exempla & casus speciales procedatur. Sic v. c. quid dominium, quot ejus divisiones, &c. quid contractus, quis contra-  
here

here poscit, quod contractus objectum, quæ  
 communia contractus &c. quid vere testa-  
 mentum, quomodo distinguendum, quæ  
 communia omni testamento, quæ ratio testi-  
 um, numeri, qualitatis &c. VNO notanter  
 dico VNO CONTEXTV nullibi traditur. Dein  
 ex tot titulis Codicis ac digestorum confusus  
 redditur animus dissentium, qui serio juris-  
 prudentiæ incumbunt. Nam ita ratiocinan-  
 tur: librorum sunt quinquaginta in Digestis,  
 duodecim in Codice, Novellarum numerus  
 centenarium excedit, quot ergo tandem erunt  
 iuris capita? forte adhuc plura, forte occur-  
 ret novum in praxi. Adeoque semper flu-  
 etuant, quia universales conceptus desunt,  
 nesciunt, ubi locandum, vel falso locant, vel  
 antiquata obtorto collo applicant, unde tot  
 inepta argumenta a simili & analogo. Acce-  
 dit, quod multa inutilia v. c. de Magistratibus  
 Romanorum, Servitibus, Successionibus  
 per SCta antiquata, tradantur, necessaria  
 multa v. c. de utroque processu, prædiorum  
 divisione ex legibus suetæ methodi omittan-  
 tur. An v. c. esset hoc tironi & linguaæ latinæ  
 ignaro utiliter grammaticam tradere, si quis  
 partim ex Ennii versibus, decemvirorum le-  
 gibus duodecim tabularum, aliisve vetutissi-  
 mis fragmentis aliquot regulas efformaret, eis  
 deinde aliquot eloquentiæ præcepta ex Cice-  
 rone, sed rursus sine connexione immisceret?  
**Quod** dictionis genus, quæ latinitas quofo  
ate

ate inde speraretur , quæ cultura animi juvenilis. Sed ipse applicationem quæso insti-  
 tuas. Vult sapientissimus Imperator , vt a  
 levibus & quæ in rerum argumentis obti-  
 nent, auspicemur , cur itaque insuper habe-  
 mus consilium tam illustre. Sed cave sis,  
 ne putas , nos existimare in notitia compen-  
 dii alicujus moderni subsistendum fu-  
 turo Jurisconsulto. Hæc est nostra mens  
 PRIMO , ne vel confusione tractationis,  
 vel sterilitate argumentorum obsoletorum  
 tædium creetur juris cultori , necessum videri,  
 ut integra artis præcepta juris usitati , quo stu-  
 dii utilitatem videat , & benedigesti , quo me-  
 moriæ consulatur, explicentur. Dum hæc gerū-  
 tur, audit a præceptore suo discens, nunc civile  
 jus , nunc canonicum , nunc imperii recessus ,  
 nunc spæcula utraque Germaniæ &c. allegari.  
 Accenditur animus itaque , insensibiliter ho-  
 nestissimo desiderio singula hæc exactius nos-  
 se & distinctius. Opus itaque erit separatis  
 postea studiis & opera ex antiquitate ipsi hæc  
 explicare, habitis nunc ad puras leges civiles ,  
 nunc ad Recessus Imperii , & ita porro lectioni-  
 bus. Terminos artis intelligit jam juris cul-  
 tor, ut promte progredi possit , usum fôri sum-  
 matim quidem, certo tamen tenet, ut peregri-  
 norum & antiquorum explicatione turbari  
 nequeat. Addamus & hoc , fato abripiuntur  
 vel parentes nostri , vel vi hostili auferuntur,  
 aut incendio consumuntur ipsius opes , aca-  
 demia

demia ipsi mature relinquenda est. Damnum non adeo grave erit, tenet jam, quæ ex usu sunt, materiarum numerum, sedes, definitio-nes, regulas &c. Potest, non ita commode qui-dem ac sub ductu vivi præceptoris ( neque vero natura nos fecit, ut commoditatè studeamus) potest tamen, quod sufficit, bonorum librorum lectione reliqua proprio marte per-ficere. Vides idcirco ex nostro instituto pau-peribus & divitibus, mediocriter & profunde jura scientibus consuli. Discentes a te xtu non abduci, sed manu ad eum duci. Confusionem tolli, ordinem, animam studiorum, induci Hæc B. L. si te non movent, movebo tibi ad-huc binas quæstiones I. Annon jam diu libri veteris testamenti in historicos & propheticos, novi in historicos & doctrinales satis bene divisi, nihilominus a theologis alio ordi-ne in systemate proponi possint? II. Annon si liceat leges sub variis titulis extantes & disper-sas aliter ordinare, ut factum in omnibus fe-re systematibus v. c. Eckolti, Schopferi &c. itidem licitum titulos ipsos alia ratione dige-re & componere? cum tamen leges sine du-bio sint res rubro seu titulo veluti sanctior & præstantior. Sed opus est, ut indicem, per quos profecerim, Methodum debeo. BALDVI-NO, APELIO atque THOMASIO. Postmodum enim certum, dominium & obligationem esse fontes juris, reliqua partitio fere aliter fieri ne-quit.

quit. In argumento rerum divisionis multa  
 accepta fero DN. LEISERO *de jur.* Georg. servitu-  
 tes magnam partem è VVAIZENEGGERO , tri-  
 plicem succedendi classem ex aureis STRTKII  
 scriptis, hausi. Ex cuius scriniis non una quo-  
 que in materia contractuum petii. In pro-  
 cessu civili MARTINVM , in criminalibus MAT-  
 THÆMV præ oculis habui. De Tutela do Etrina  
 ex B. PAVLO SCHROETERO VRATISLAVIENS  
 ICTO derivata est magnam partem. Neque re-  
 liquos in singulis titulis tacui. Stultum quo-  
 que foret, si me ipsum jus effinxisse dicerem.  
 Publice quoque me obstrictissimum profite-  
 or MAGNIFICO DN. DECANO FRISIO, quod non  
 saltim benegnissimum se mihi in ipsa censura,  
 sed quoque in subministrandis subsidiis ex-  
 hibuerit. Neque dissimulanter ferenda est  
 SLEVOGTII & BRVCKNERI , at QVANTORVM  
 NOMINVM in commodandis bonis auctoribus  
 munificentia. Ad commentitium Momum &  
 Zoilum , non habeo, quod dicam , nolo enim  
 larvas mihi fingere , quas oppugnem. Si ta-  
 men, quod propter ab initio dicta vix spero,  
 verus vivusque proditurus est contradictor,  
 quia par in parem non habet imperium , leges  
 ipsi præscribere non audeo. Præcipue cum re-  
 gulæ justi honesti, decori & prudentiæ hodie  
 ubique MAGNI PHILOSOPHI  
 opera prostent.